



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

Eucharistia quid sit. tit. 87

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

ticis & schismaticis non sunt utilia & efficacia propter labem schismatis: redeunt enim illico peccata, sicut cum seruo nequam, Mat. 18. Ideo sunt sine utilitate medicinae sacramenta ab hereticis ministrata. Vnū, id est, charitas, deest: sine vnitatem nullum sacramentum prodest, 1. Cor. 13. Si habuero omnem scientiam & cetera omnia etiam sacramenta propter vnitatem distribuuntur: ad vnum corpus baptizamur, 1. Corint. 12. Vnus panis in eucharistia fieri debemus, 1. Corint. 10. ad reconciliationem absolui mur & cetera. Ioann. 20. Vnitas ergo pluris est, quam ipsum sacramentum. Mat. 5. Vade reconciliari. Ideo catholici semper vitant illorum praedicationem, ordinationem, sacramenta & cetera.

EUCCHARISTIA QUID SIT.

TITVLVS LXXXVII.

EUCCHARISTIA sunt notanda. Primò, quid sit sacramentum Eucharistiae: subindè, cur à Christo in Ecclesia institutum. Postremò, qui sint fructus dignè vntium.

Primo, sacramentum altaris est verum, viuum, & iam non vltra mortale corpus & sanguis Christi cum diuinitate adunitum, sub specie panis & vini ab ipso Christo institutum, vt vramur illo ad commemorationem & recordationem mortis suae in cruce pro nostris peccatis. Primò, hic est Christus viuens verè, immortaliter, sicut resurrexit à mortuis. Rom. 6. amplius non moritur & cetera. Secundò, adunitus cum diuinitate, quae duo semel in vna persona assumpta, id est diuinitas & humanitas Christi, nunquam separantur in aeternum. Ideo Apostoli post resurrectionem adorant illum. Et Thomas inquit Ioann. 20. Deus meus & Dominus meus. Tertiò, Matth. 26. Accipit panem & cetera. Hoc est corpus meum & cetera. Hoc facite in mei

Qq 3 comme-

commemorationem, Luc. 22. 1. Corinth. 11. non dicit, in remissionem peccatorum. Ergo est hic Deus homo viuus, non mortuus, corpus viuum cum sanguine & vita & diuinitate. Hæc est fides catholica.

Secundò, sacramentum hoc propter tres causas institutum. Primò, ad memoriam. Quare Christus mortuus est, nempe propter nostram salutem, Rom. 4. mortuus est pro peccatis, vt sic sequatur gratiarum actio pro tanto beneficio nobis exhibito. Ideo dicit Luc. 22. Hoc facite in meæ passionis memoriam, scilicet quòd vos redemi corpore & sanguine meo in cruce, &c. Sic Iudæi annuè comederunt agnum paschalem, Exo. 12. in memoriam liberationis ex captiuitate Aegyptiaca &c. Secunda causa, vt homo cognoscens se per peccatum excidisse à communione Christi atque corporis ipsius mystici, iterum intret in communionem communem. Nam licet baptismo semel inseramur corpori Christi mystico, Corin. 12. attamen quoties peccamus mortaliter per opera carnis, ad Gala. 3, iterum excidimus ab viuua vnione, & perdimus apprehensam gratiam, id est remissionem peccatorum: sed illa per pœnitentiam recuperatur, & absoluitur, Ioan. 20. Subindè per communionem iterum incorporamur Christo, & vnimur corpori eius, sicut dicit Ioann. 6. Qui manducat me in me manet &c. Tertia causa est, vt per huius sacramenti susceptionem instigemur ad charitatem & vniuersalem fraternitatis, sicut efficimur vnus panis, vnum mustum, 1. Cor. 10. Hæc igitur est proba, de qua Apostolus 1. Cor. 11. dicit, scilicet, vt penes, an excideris à communione per peccatum, necne.

Tertiò, fructus Eucharistiæ sunt: Primò confessio fidei, scilicet, quòd Christus te redemit, qui enim hoc non credit, non accipit sacramentum, vt Iudæi, & qui hoc credit & māducat, in illo vult esse Christus, tueri & defendere contra peccatum, sathanam, infernum.

Nam dicit Ioan. 6. in me manet, & ego &c. Rom. 8. Si Deus pro nobis, &c. Et 1. Ioann. 4. Maior est Deus in nobis &c. Secundus fructus, participatio omnium bonorum Christi, qui sicut legitimè cōmunicat temporalia bona, sic Christus iustitia fit tua, 2. Corin. 5. vt nos iustitia Dei efficeremur in illo. Roman. 8. si filij, ergo & hæredes. Tertius fructus, participatio omnium bonorum Ecclesiæ. Nam qui rectè & deuotè in charitate communicant, illorum bona opera sunt communia, sicut farina ex multis granis fit vnus panis, 1. Corin. 10. & fit, sicut scriptura dicit, frater adiuuans fratrem, &c. ciuitas firma, &c. Hi sunt boni fructus. Secunda causa, vt Christus viuat in nobis Ioann. 6. & cōseruet vitam spiritualem, id est, fidem, charitatem, timorem, &c. ne moriamur in peccatis, & perdamus iterum vitam animæ, vt carnalis vita mortificetur.

CVR CHRISTVS INSTITVIT

corpus suum manducare & sanguinem bibere.

TITVLVS LXXXVIII.

DEVS, vt inquit Propheta Psal. 110. memoriam fecit mirabilium suorum, misericors & miserator Dominus, escam dedit timentibus se &c. Sic Iudæis præcepit Deus annuè manducare agnum paschalem in memoriam liberationis ex Aegypto de manu Pharaonis, Exod. 12. sic duodecim lapides in Iordane in memoriam, quòd Iordanis cessisset, Iosua 3. Sic in massam redacta sunt thuribula Chore & Abiron, in memoriam schismatis & illius punitionis, Nume. 16. Sic magnorum operum suorum vult Deus obliuiscamur.

Q9 4. Prima